



Bustum Rupelle

s.l.n. d.n.n s'Imprimeur


illustre

1628

(Montauban)









BVSTVM RUPPELLÆ.

NIVERSA CALVINIANORVM
natio, summam conjuratæ rebellionis Rupellæ
statuit: insulæ rata, numero ciue, præ-
sidio, muris, propugnaculis, armamentario,
Oceano, Anglo socio, ad eam expugnandam
ærarium regium exhaustendum, Galliam juuentute orban-
dam. Risit REX LUDOVICVS, & væsaniam perduellicæ

50 — A



factio[n]is, exitialem præsentiens, pro sua clementia doluit.
 Inducta igitur per vniuersum regnum more Sanctæ Ecclesiæ
 Catholice, Apostolicæ, Romanae quotidiana supplicatione,
 ad suscep[t]i consiliū cœleste auxilium & tutamen impetrandum,
 expeditissimam armatorum quinque & XX millium com-
 parat manum: terrestri, maritimq[ue]; vallo (Oceano, ne in
 opus insiliret, reciprocos aestus studiosè cohibente) Rupellæ
 obducto, commeatibus eam intercludit. Per quinque & de-
 cem menses assiduus vrgendæ obsidionis instat: interim ter at-
 terit Anglum: otiosisque obsessorum armis, muris, propu-
 gnaculis, ceteroque apparatu bellico, turpis fames (dignum
 arrogantiæ & contumaciæ supplicium) eos depascit: mo-
 riuntur cateruatum: vixque leui ingesta humo conduntur.
 Consumptis oppidanis ad decem & octo millia: reliqui, numero
 paucissimi, pallidi, exangues, vultibus exesi, quicquid extremi
 spiritus adhuc supererat, spe lenitatis LVDOVICI trahentes,
 reorum habitu, projecto corpore horrendum crimen pudibundi
 & pœnitentes fatentur: tot diutinæ obsidionis ærumnis, tot
 jacturis, tot funeribus, se satis pœnarum pessime consultæ re-
 bellionis LVDOVICO dependisse lamentantur & ejulant:
 veniam deprecantur, clementiam implorant: arbitrio
 LVDOVICI se, suaque committunt, fidemque interposito
 sacramento obstringunt. SIC REX adolescens virili pa-
 tientia glaciales hiemes, aestuos ardores, cælum insalubre su-
 stinens; obuiisque periculis, etiam salutem suam in discri-
 men saepius adducens, sapientiaeque Illustriſſimi Cardinalis
 subaudiens (cui ex meditata ratione consilium fuit cōpendium
 inire rebellionis opprimendæ, Principem factio[n]is urbem
 funditus euertendo) Rupella Kal. Nonemb[ris]. M.DC.XXVIII

fæliciter potitur ; inspectante instructissimo , sed feriato
Anglorum in supprias aduocatorum , exercitu : tantaque
fuit Illustrissimi Cardin. administratæ obsidionalis præfe-
cturæ fides , integritas , studium , solertia , ut ultra votum
tam funesta clade vindicatus L V D O V I C V S , ærario
haud admodum exhausto ; integro , saluo , incolumique
cuncto exercitu , sine suorum cæde & sanguine , receptæ
Rupellæ gloriæ sibi consortem , publico testatus sit elogio.
S E D & prudentissimo clementie suæ vindictaque tem-
peramento (ut cæteris vrbibus sacrilegæ factionis reis , do-
cumentum præstet , humili potius obsequio imperata sub-
eentes , benevolentiam eius promereri , quam contumaci
rebellione Injustiam exasperare) vitam , bonaque superstitionis
condonat : armamentarium sibi vendicat : muros , &
propugnacula disturbat ac deicet : per fossas ad summa
labra complanatas , carpento viam sternit . Praetorem ,
Consules , Decuriones , consilium publicum , omniisque
insignia & ornamenta Magistratu[m] municipalis , ita tollit
& abrogat , ut nihil aliud nisi inane nomen Rupellæ re-
linquat ; seruitioque addicit , quæ Imperium præsumebat .
Caluinianum templum Episcopali Ecclesiae erigenda tribuit :
Et ubi caninus ministellus per L X annos Orthodoxæ fidei
pestilenter oblatrarat , venerandus Episcopus in perpetuum
salutarem cathedram occupabit . C H R I S T I A N I S S I M V S
R E X , V I N C E N T I S C R V C I S auspicijs plenissime
calcatum referens fastum Rupellæ , amplissime restaura-
tam postlimnio fidem Catholicam , Apostolicam , Ro-
manam : prorsus subactam Caluinianam rebellionem ,
C R V C E M hanc in platea Castelli erigi mandat , ut ubi

4

pridem nefariè dejecta, impie negligebatur : ibi nunc glo-
riose erecta, sancte ac humiliter adoretur. ET ad æter-
nam hominum memoriam D. O. M. MATRIQ. VIR.
solemnem supplicationem in gratiarum actionem quotannis
Kal. Nouemb. decernit celebrandam.



LUDOVICO IVSTO.

 PPIDANIS fere omnibus Caluinianæ
Rupellæ extrema fame peremptis;
superstitionib[us] ægerrimè valentibus: ino-
pia miserrimis: muris, munitioni-
busque funditus subrutis: armamen-
tario tridito: Anglo semel, atque ite-
rum victo; & postremò fugato: honoribus & muneri-
bus municipalibus omnino sublatis: Consilio publico
in perpetuum prohibite: Caluinianis omnibus, præter
dedititios, eius incolendæ facultate prorsus exclusis; cul-
tu fidei Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ, mutatione
Caluiniani templi in Basilicam Catholicam, & Episco-
pali dignitate stabiendi, pleniùs ampliato, summus
eius fastus, summa superbia, summa arrogantia, cum
summa ignominia mortua jacet: ne tam desiderato fa-
to BVSTVALE monumentū deesset; id ego, gaudio exul-

tans, lætitia prægestiens, ac insigniter gratulabundus sub
hac VICTRICE CRUCE pono: tibi que, CRUCIS
gratia inextricabilis difficultatis gloriofissime VICTO-
RI, dico; LUDOVICO, REX CHRISTIANISSIME,
in CRUCE glorians, IUSTE, Pater populi, chara
anima, vnicum votum, vnicæ spes, vnicæ salus.

MICHAEL DE SOLARGVES TOLOSAS
subditus ac addictus.



Hac Epistola Henrico Borbonio Principi Magno,
Montem Albanum obsidenti, B V S T V M Rupellæ
offeretam.

HENRICO BORBONIO PRINCIPI MAGNO
MICHAEL DE SOLARGVES.

PRINCEPS MAGNE,

SA TYRVS visus est in exercitu Ale-
xandri Magni Tyrum obsidentis: T V A
TYRVS EST, pronuntiauit omnis in-
terpretatio : accepit omen, & valuit.
B V S T V M istud Rupellæ , in primis
tibi occurrens in hactua legatione Montis Albani ob-
sidendi, fatum pro certo subiturum Montem Albanum
vaticinatur. Nam vt tu gentilitate, stemmate, sanguine,
proximus es L V D O V I C O , sic gloriam imitabere.
Rupellam in B V S T V M dedit ille : tu M o n t e m Alba-
num in atrum T V M V L V M deprimes. Adhære cognati
gloriae: & T V M V L V M illam altera VICTRICIS CRVCIS
erectione fac illustrem. Ne patiare Regali Borbonio
sanguini vipereum improbi Caluini genimen diutiùs
illudere. Desperata gens est, ad vim prompta, ad sedi-
tionem parata, ad cædem expedita ; quæ simulac mini-
ster aut circulus concrepuerit, armata vi, tumultu con-
citato, agrorum populatione, villarum expilatione, la-
trocinijs quietem, otium, tranquillitatem, pacem (in-
temerandum L V D O V I C I munus) respuit, infringit,

obturbat: quæ nec occasu rearum tanti criminis vr-
 bium; nec cōseruatione resipiscentium, aut se submit-
 tentium sapit exemplo: sed & recens captâ Rupellâ,
 duce factionis vrbe; fœcunda malis suis, adhuc inani-
 bus consilijs, inanibus armis obstinatiūs insurgit ac ob-
 nititur: serpentum modo, qui capite minutis, reptili
 morientium fragmentorum volubilitate, vindictam in
 sectorem minantur. Ergo non sit jam lenitati locus: se-
 ueritate, quam res ipsa flagitat, agatur. Armata gens est,
 arma armis irritentur: obsequia non fatetur, armis fac
 imperium: meditatis dolis agit & fudit, solertiam & in-
 dustriam exere: qui poterit effugere? Arduum quidem
 facinus: sed quid non superabile & volenti, & Principi
 & H E N R I C O B O R B O N I O? Insta, vrge: ne hæreat
 fortuna tua expugnatis Apamijs & Realmontio. Mon-
 tis Albani direptio, gloriæ C R V C I S, & tuæ ornatissima
 est propagatio. Huius sponsorē iabemus, à te in comi-
 tijs habitam orationem: hæc te quinimo debitorem fa-
 cit: ideo te appellamus: sed & eximiā tuam in Regem
 fidem; singularem itidem in soleuando vexatissimo
 populo clementiam; & rerum irsuper à te præclarè ge-
 starum perulgatam famam, certos tuis vestigijs con-
 culcandi Montis Albani tenerus obsides. Hæc sunt
 denique Ecclesiæ, R E G I S, populi vota, quorū gratiâ,
 diurnis, nocturnisque precibus diuinum pro te numen
 interpellamus.

*His Epistolijs, ruri agens, viris ornatissimis copiam cen-
sendi B V S T I Rupellæ faciebam.*

V. R.

D. ALPHONSIO DELBENE EPISCOPO

A I B I E N S I.

MICHAEL DE SOLARGVES.

ET tu in Deditio*n*e Realmontij, quæ & Principis Borbonij, & tuam nauatam vtilitati publicæ continet operam, gratiam quimdam Latinitatis deprehendis: animos nihil facit amica ad probationis tuæ authoritas, vt repetito stylo aliquid semper audeam. Rusticabar: vrbe pestilenti lue, reprobata: & nihilominus solitarius choro Musarum intereram. Vndiquaque fama Rupellan succubuisse: sanè præ gaudio apud me non sum. Diuinum numen, quod precabar, titulo congruam, ni fallor, in base C R V C I S apponen-dam suggerit subscriptionem. An scitè & vrbis fastus & clades, & L V D O V I C I , Illustrissimique Cardinalis labor & industria notata, tuæ sententiæ submitto: cuius calculo non dubitabo B V S T V M Rupellæ publicæ alex comittere.

V. R.

D. HENRICO SPONDANO EPISCOPO

APAMIENS.

MICHAEL DE SOLARGVES.

DOTVS QVISQVE politioris literaturæ, gloriam protractæ à LUDOVICO Rupellæ certatim non celebrat? Similem casum Apamiarum in gratiam Borbonij Principis & tui, Inscriptione notaui: alienum prorsus fuisset si deuicta Rupella (in qua perduellica factio imperium constituebat) parem operam non praestarem & LUDOVICO, & Illustriſſ. Cardinali, qui nos hoc nomine obnixè deuinctos habent. Scriptioni meæ BYSTVM Rupellæ nomen impono: rationem continet dedicatio. Cui grauiori, probatori, doctiori viro censendam lucubratiunculam committerem, qui notissimis tuis meritis, inscius Episcopalem dignitatem plenissimè obtinuisti? Dispicies igitur: &, si in aliquo nutet aut dictio, aut sensus ratio, aut historiæ fides, protua in me benevolentia commonebis, & emendabo.

B

V. C.

D. SIMONI PETRO B V E T O SENATORI

M I C H A E L D E S O L A R G V E S.

RVSTICA solitudo, quām multos mihi
comites præbet: in otio ipso varijs nego-
tijs in plicor: quot veneranda antiquo-
rum nonumenta prospicio, tot mecum
graue viros habere videor: & singulas
injurias, quibus publicè offendimur, tacitus mille que-
rimonijs insechor: & miseriores, quò plagarum no-
strarum cohibendus est dolor, ne erumpat: erupit
tamen hac suasoria Gallica: an satis modestè, judicium
tuum sit. Sed & LVPOVICI inter has mentis vexa-
tiones, gloriā deletæ Rupellæ audio; cui fortunæ, que-
relas nostras pro certo hæsituras credo. Ergo conue-
nientem, ni fallor, huius fato operam, BVSTVM sci-
licet Rupellæ, medior. Habes otij nostri rusticani
rationem: habes causam lucubrationum. Tu, vt mei
amans, operasque meas laudibus prosequens, vtrām-
que dispicies: &, si quid tibi videbitur animaduer-
sione dignum, studiosè suggester.

